



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. In quibus causis, quando, & quomodo præstandum sit juramentum
calumniæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

maiores reverentiam, si Episcopus per se litigem in iudicio, ut propositus tantum Evangelis, jurare debeant. Uti colligitur *ex c. ult. h. t.* (nisi causæ arduitas plus exigat etiam respectu Episcopi) si consuetudo aliud non jubeat; sicati autem in causis comunitatis, quæ Syndicum v. g. non habent, satis est, si principalis pars de calumnia juret, ita potest etiam procurator specialis admitti ad iurandum de calumnia, tam in animam propriam, quam in animam sui principalis, si speciale de hoc mandatum habeat, *c. Nullam 3. h. t. in 6.* ut ne huic calumniandi detur occasio, nisi ex officio iudicis parti datus sit talis procurator, quo in casu in animam propriam talis procurator jure non tenetur, cum dolo facere non censetur, quæ facit ex mandato iudicis. Imo quamvis partes litigantes principales per se de calumnia juraverint, & postea per procuratores à se constitutos causam suam prosequi velint, debent etiam isti Curi & illi, qui à procuratoribus post litem contestatam substituntur) de calumnia jurare, uti colligitur *ex c. 2. §. Procuratores h. t. in 6.* cum & ipsi calumniari possint, & consequenter per principalium iuramentum de cavenda calumnia parti litiganti, non est satis consultum: quod ipsum ob hanc causam sentiendum etiam & dicendum est, de Advocatis, qui melius sapius calumniari sciunt, & solent, quam ipsæ partes, nisi hodiernâ consuetudine hi tales à iuramento hoc excusentur, de quibus dignitas personæ meliora præsumere jubet, vel certè ne detur multorum perjuriorum occasio, vel quoddam videatur iuramentum generale, quod in Curiis plerisque usita-

tum est, dum ad munus Advocati admittuntur, aliqui sufficere.

§. II.

In quibus causis, quando, & quomodo præstandum sit iuramentum calumnie?

IN omnibus causis, in quibus probatio est necessaria, non tantum in prima instantia, sed etiam in causa appellationis, præstandum est iuramentum calumnie, siue causæ illæ civiles sint, siue criminales (*gloss. in c. 1. V. criminaliter h. t.*) siue sint ordinariæ, siue delegatæ, siue compromissariæ, quæ coram arbitris tractantur, siue parvæ siue magnæ; & quamvis olim de jure antiquo Canonico, in causis spiritualibus aut eis annexis iuramentum calumnie nec deferri, nec recipi solebat. *c. Literas 2. h. t.* eò quod in spiritualibus præsumeretur semper Deus haberi præ oculis, nec calumniatos litigantes, & sufficere iuramentum de veritate dicenda, quia tamen postea animadvertum fuit, ut ait Pontifex *in c. 1. §. Quamvis h. t. in 6.* etiam in his causis frequenter à litigantibus calumnias irrogari, hinc statutum hoc jure novo fuit, ut in his etiam causis tam de veritate dicenda, quam de calumnia juretur.

Est autem hoc iuramentum calumnie in principio litis præstandum, statim scilicet post litem contestatam, antequam positiones ab adversario offerantur, neque tamen, ut advertunt SS. Canones, processus judiciarius erit vitiosus, si serius præstitum fuerit hoc iuramentum, cum ordo hic, ut ait Pontifex *in cit. c. 1. in 6.* non sit de substantia processûs, & ideo